

APPENDIX

DE PATRONO LOCI ET DE TITULARI ECCLESIAE

Q. 219. *Quæ et quomodo celebranda sunt Festa localia solemniora?*

R. Enumerata fuerunt in responso ad Q. 105 diversa Festa duplicia 1 classis, et insimul indicata quænam ex ipsis æstimentur et sint Festa quasi primi ordinis, solemnissima nempe illa Ecclesie universalis, quæ tanta cum religione ac solemnitate ex Ecclesie Instituto ubique celebrari debent, ut quibusvis aliis Festis etiam primæ classis semper sint præferenda.

Festa duplicia 1 classis secundi ordinis æstimantur Festa propria, seu localia, nempe Patroni loci, Dedicationis et Tituli Ecclesie; quæ solemniora quidem sunt, sed in diversis locis tantum, et non in Ecclesia universali, solemniter suis respectivis diebus celebrantur.

Pro debita celebratione istorum Festorum S. Rituum Congregatio sequens edidit Decretum generale (9 Julii 1895, n. 3863):

« Cum, haud obstantibus Decretis pluribus dudum a S. Rituum Congregatione emanatis, nondum satis constet apud interpretes quid juris habeatur circa celebrationem trium Festorum, quæ in locis solemniora sunt juxta Rubricas; eadem S. Rituum Congregatio, præterita cuncta Decreta hac super materia hucusque vulgata renovans et declarans, decernit:

I. Festum præcipui Patroni loci vel Diocesis, si particularis non habeatur, celebrandum esse ab omnibus et singulis de Clero, ad Horas Canonicas obligatis, qui eodem in loco degunt, sub ritu Duplici primæ classis a Seculari cum octava, a Regulari vero sine octava. Quod si plures habeantur in loco Patroni æque principales, ad singula eorundem Festa, præfato celebranda ritu, omnes ut supra similiter tenentur: si vero de eodem Patrono plura sint Festa in loco instituta, unum tantum solemnius, id est natalitium, dicti Regulares

De Patrono loci et de Titulari Ecclesie (Q. 219) 381

recolent, nisi sub utroque præcepto sint observanda; tunc enim ad illa ipsimet Regulares adiguntur.

II. Eodem ritu Duplici primæ classis cum octava celebrari debet Festum solemnius Titularis Ecclesie ab omnibus e Clero, quibus eadem Ecclesia propria est, aut ratione beneficii, aut ratione subjectionis: adeo ut eodem sub ritu recolendus sit etiam Titulus Cathedralis Ecclesie ab universo Clero totius Diocesis, sine octava tamen a Regulari.

III. Anniversarium vero Dedicationis Ecclesie eodem sub ritu ab omni Clero recolatur, qui ad eandem Ecclesiam, uti superius dictum est, utpote propriam pertinet. Quod si alicui Diocesi vel Instituto concessum sit Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum uno eodemque die celebrare, omnes et singuli de relativo Clero, quibus indultum favet, dictum Festum semel celebrabunt sub ritu Duplici primæ classis cum octava, sive Ecclesia propria consecrata, sive benedicta tantum fuerit, cujuscumque particularis alterius Ecclesie Dedicationis Festo omisso.

IV. Ad Anniversarium autem quod spectat Dedicationis Cathedralis Ecclesie, S. Rituum Congregatio jubet, ut illud celebretur ab universo Clero Seculari Diocesis sub ritu Duplici primæ classis, in Civitate Episcopali cum octava, extra vero sine octava. Idem Festum recolent ii tantum ex Clero Regulari, qui in Civitate degunt Episcopali, sub ritu Duplici secundæ classis sine Octava.

Atque ita servari mandavit. »

De Festo Anniversarii Dedicationis Ecclesiarum omnium Diocesis nostræ plura jam dicta fuerunt, Q. 105, Nota II; Q. 108; et passim.

Etiam per totum hunc Tractatum sæpius de Patronis locorum et Titulis Ecclesiarum mentio fuit facta, in applicatione nempe legum practicarum, quibus unusquisque Kalendarium proprium pro debito eorum cultu construere addiscat; opportunum tamen judicatur, in hac Appendice specialia quædam notare de celebratione Patroni et Titularis.

Etenim in nostra Archidioecesi Mechliniensi ultra sexcenta loca sunt quæ peculiari suo Patrono gaudent, et ultra septingentæ Ecclesie parochiales, necnon plu-

res aliæ quæ proprium suum Titulum habent; ut ex his numeris æstimari licet, diversi Patroni, diversi Tituli dantur multi, quorum plures non sunt de iis qui in Breviarii Romani Kalendario adnotantur celebrandi eo ritu qui Patronis et Titularibus competit.

Quæ forsitan ex hucusque in Tractatu dictis repetita in sequentibus Quæstionibus occurrent non ideo displiceant; cum pro facilitate uniuscujusque, et præsertim juniorum Sacerdotum proposita sint, eo fine ut et Deus Ipse, et Ejus Sancti, qui ad peculiarem cultum jus habent, debito modo ad majorem gloriam colantur.

Q. 220. *Quid intelligitur per Patronum loci? Quid per Titularem Ecclesiæ?*

R. I. Patronus loci est ille Sanctus qui ut peculiaris apud Deum intercessor propriusque suffragator, sive legitime facta electione, sive perpetuo usu ac traditione a majoribus accepta, ab universo loci alicujus clero ac populo, colitur et honoratur. (Cfr. Decreta S. Rituum Congregationis, 9 Maji 1857, n. 3048, antiq. 5240; et 2 Decembris 1891, n. 3754.)

Explicatur: 1. Nomine loci intelligitur Regnum, Natio aut Provincia; — vel Diocesis; — vel Civitas, oppidum aut pagus.

2. Dicitur ille Sanctus: etenim Patroni constitui possunt tantum B. Maria, Angeli et Sancti; in notione enim Patroni intelligitur aliquid medium Deum inter et homines, intercessor et suffragator pro populo apud Deum. Unde in locorum Patronos nullatenus eligi possunt SS. Trinitas, Spiritus Sanctus, vel ipse Christus Dominus sub variis invocationibus. Electionem in quodam loco factam Spinarum Sacræ Coronæ in Patronas S. Rituum Congregatio irritam declaravit. (Decret. 20 Septembris 1681, n. 1678, antiq. 2964.)

Beatos in Patronos eligere speciatim prohibitum est. (Decret. 23 Martii 1630, n. 526, antiq. 852, ad 1.) — In Diocesi Brugensi ab anno 1883 recolitur quidem Beatus Carolus Bonus, Flandriæ Comes, et Martyr, tamquam Patronus secundarius, sed hoc fit ex Indulto speciali Sedis Apostolicæ.

3. Constituitur Patronus electione legitime facta, cujus condiciones statuit S. Rituum Congregatio, Decreto 23

Martii 1630, ab Urbano VIII approbato (n. 526, antiq. 852), et confirmato Decreto 13 Januarii 1631 (n. 555, antiq. 892).

Electio Patroni Civitatis, oppidi, vel pagi fieri debet per secreta suffragia a populo, mediante consilio generali illius loci, non autem ab Officialibus tantum; Patroni Regni autem per secreta suffragia populi singularum Civitatum; repræsentantibus vero Regnum, Provinciam, aut Civitatem nulla competit facultas, nisi ad hoc speciale habeant mandatum; in omni casu accedere debet consensus Episcopi et Cleri; et causæ debent in S. Congregationem Rituum deduci, ab ea examinari, ac demum approbari et confirmari. Electio aliter facta ipso jure irrita est.

4. Electio supra præscripta fieri debet si novus constituendus sit Patronus; in multis locis vero Sancti honore et ritu Patronatus gaudent ab antiquissimis temporibus, ante præfata Decreta sub Urbano VIII lata, quod constat perpetuo usu ac traditione a majoribus accepta; et etiamsi hodie non constet de eorum electione rite facta, nihil innovandum est, et in eorum possessione Patronatus relinquendi sunt.

Patronus semel legitime electus nequit in alium immutari. (Decret. 6 Aprilis 1658, n. 1061, antiq. 1881.)

5. Patronus debet coli ab universo loci illius clero et populo, nemine excepto per totum territorium sive Regni, sive Civitatis aut pagi.

6. Colitur et honoratur Patronus, nempe: 1º celebratione ejus Festi sub ritu Duplici 1 classis cum Octava; et 2º cum feriatio, id est, cum obligatione tum abstinendi ab operibus servilibus, tum audiendi Missam.

Per Decretum Cardinalis Caprara, 9 Aprilis 1802, statutum fuit pro nostra Patria, quod feriatio, scilicet utraque obligatio audiendi Missam et abstinendi ab operibus servilibus, seu, ut vulgo dicitur, Solemnitas Festi Patroni, si infra hebdomadam occurrit, transfertur in Dominicam proxime sequentem; cultus liturgicus vero celebrationis ejus Festi sub ritu Duplici 1 classis in propria die, et cum Octava, remansit, et nihil in eo mutatum fuit. (Decret. 25 Novembris 1892, n. 3793.) Item perdurat adhuc obligatio applicandi

Missam pro populo in die propria Patroni. (Decret. 6 Martii 1896, n. 3890, Dub. I, q. 2.)

De hac Solemnitate, et de ritu celebrandi in Dominica proxime sequenti Missam Festi Patroni agitur in Tractatu de Rubricis Missalis Romani.

II. Titularis Ecclesiæ est Persona divina, vel Mysterium, vel Res sacra, vel Sanctus, sub cujus nomine et invocatione benedicta aut consecrata est Ecclesia, et cui ideo cultus et honor speciali ratione tribuitur. (Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 9 Maji 1857, n. 3048, antiq. 5240.) — Quod est homini baptizato nomen impositum, hoc idem est Ecclesiæ dedicatæ Titulus, seu Titularis quo ipsa nuncupatur, et ab aliis Ecclesiis proprio veluti nomine dignoscitur.

Explicatur: 1. Dicitur **Persona divina**, vel **Mysterium**, vel **Res sacra**, vel **Sanctus**: etiamsi non liceat Personam divinam, vel Rem sacram tamquam Patronum constituere, ut in definitione præcedenti ex notione Patronatus monstratum fuit, nihil impedit nomen seu Titulum dare Ecclesiis, non solum Sancti, sed et Personæ divinæ, vel Mysterii, vel Rei sacræ, et ita Ecclesiarum Titulares constitui possunt SS. Trinitas, Spiritus Sanctus, SS. Salvator (et in tali casu pro Festo Titularis sumi debet Festum Transfigurationis Domini, 6 Augusti; Decret. 23 Maji 1835, n. 2721, antiq. 4738, ad 2), SS. Sacramentum Corporis Christi (Decret. 31 Augusti 5 Septembris 1867, n. 3157, ad 3, antiq. 5381, ad 4), SS. Cor Jesu S. Crux, et similia.

Beati numquam possunt constitui Titulares, nisi ex Indulto speciali S. Sedis Apostolicæ, uti declaravit S. Rituum Congregatio, Decreto 23 Januarii 1740 (n. 2353, antiq. 4101, ad 1). Imo rescipsit S. Congregatio, Titulum Beati sine Indulto assumptum debere supprimi, et alium de Sancto jam canonizato substitui. (Ibid. ad 2.)

2. Titularis regulariter in benedictione primarii lapidis pro ædificanda Ecclesia eligitur; cum autem Ecclesia benedicatur, aut consecratur, tunc Titularis reapse constituitur. Titulus semel Ecclesiæ assignatus in alium immutari non potest nisi ex Indulto Apostolico; Episcopo non licet, etiam ex rationabili causa, illum im-

mutare. (Decreta 6 Septembris 1834, n. 2719, antiq. 4735, ad 2; et 18 Februarii-11 Martii 1843, n. 2853, antiq. 4954, ad 1.) Potest autem addi Contitularis de licentia Summi Pontificis. (Decret. citat. n. 2853, ad 2.)

3. Electio Titularis minime requirit juris solemnitates quemadmodum electio Patroni; Titularis eligitur ex propria devotione, vel ex beneplacito sive fundatoris Ecclesiæ, sive Episcopi, aut aliter.

4. Titularis Ecclesiæ colitur et honoratur quidem celebratione ejus Festi ritu Duplici 1 classis cum Octava; sed ejus Festum per se non importat feriacionem, quemadmodum Festum Patroni loci (Decret. 11 Martii 1837, n. 2758, antiq. 4799, ad 1); nisi ex alia ratione, veluti si simul esset loci Patronus, vel si ab Ecclesia universali cum feriacione celebraretur.

Q. 221. *Assigna præcipuas differentias inter Patronum loci et Titularem Ecclesiæ.*

R. Ex definitionibus supra datis jam patent pleræque differentiæ inter Patronum et Titularem:

1. Patronus loci respicit ad totum territorium cujus Patronatum habet, consequenter ad omnem clerum, etiam diversarum Ecclesiarum, et populum, etiam diversarum Parochiarum, hujus loci sive territorii; — Titularis Ecclesiæ spectat tantum et exclusive ad solam Ecclesiam cujus Titulus est.

2. Festum Patroni importat feriacionem in populo; — Titularis Ecclesiæ per se non.

3. Consequenter feriatio annexa Festo Patroni transfertur in Dominicam sequentem, aliis verbis Festum Patroni loci habet suam Solemnitatem; — Titularis Ecclesiæ, cujus Festum non habet feriacionem, Solemnitatem in Dominicam sequentem translata habere non potest.

4. Modus utrumque constituendi multum differt: pro Patrono loci requiritur electio facta sub præscriptis conditionibus omnino servandis; — pro Titulari sufficit designatio ex beneplacito fundatoris, vel alicujus particularis.

5. Fieri potest quod Patronus loci nullam habeat in loco sibi dedicatam Ecclesiam: ex. gr., S. Livinus, Epi-

scopus et Martyr, cujus Festum celebratur 12 Novembris, Patronus est Civitatis Gandavensis, et tamen nulla ibi existit Ecclesia ipsi dicata; — Titularis non potest constitui sine Ecclesia cujus Titulus est.

6. Diruta Ecclesia, cessat jus Titularis (Decret. S. Rituum Congregationis, 27 Februarii 1847, n. 2934, antiq. 5071, ad 1); — non cessat ideo jus Patroni loci.

7. Omnes Ecclesiæ consecratæ vel solemniter benedictæ necessario habent Titularem; — non omnia loca peculiarem suum habent Patronum (cfr. infra Q. 223, 2º, Nota 1).

NOTA. In Rubricis generalibus et specialibus Breviarii Romani sæpius mentio fit de Patrono loci et de Titulari Ecclesiæ, et non raro ex modo loquendi de Patrono vel Titulari Ecclesiæ aliqua confusio oriri posset: notari potest Rubricas semper loqui voluisse de iisdem duobus Festis bene distinctis, et vocem Patroni referendam esse semper ad locum, vocemque Titularis ad Ecclesiam; particula vel non est idem ac seu, sed significat et.

Auctores nonnulli aliquando loquuntur de Patrono Ecclesiæ, unde item confusio oriri posset: ideo optandum esset ut vox Patroni semper adhiberetur ubi quæstio est de loco, vox Titularis, ubi quæstio est de Ecclesia. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, IX, 1895, pag. 297 et sqq.; et XIII, 1899, pag. 16 et sqq.)

Q. 222. *An idem interdum est Patronus loci et Titularis Ecclesiæ?*

R. Affirmative; nempe quando idem Sanctus, qui Titularis est Ecclesiæ, simul est Patronus territorii extra Ecclesiam siti; et tunc ad eundem Sanctum pertinent quæcumque circa Patronos et Titulares in Ecclesiasticis Constitutionibus et Pontificiis Decretis præcipiuntur. (Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 4 Februarii 1871, n. 3235, antiq. 5470, ad 1.)

Hoc sæpe accidit, quando Parochia unica comprehendit integrum territorium pagi, et non est constitutus alius illius loci Patronus quam qui unicæ Ecclesiæ in loco Titularis est; talis est casus in plerisque nostris pagis,

In Civitatibus vero, plerumque Titularis Ecclesiæ principalis simul est Patronus totius Civitatis; in hac Parochia et Ecclesia principali igitur idem est Patronus et Titularis; sic, ex. gr., Mechliniæ, S. Rumoldus est Titularis Ecclesiæ Metropolitanæ et parochialis sui nominis, et insuper est Patronus totius Civitatis. In tali casu celebratione unius Festi in Parochia S. Rumoldi satisfit obligationi cultus Patroni loci et Titularis Ecclesiæ.

Sed si in eodem loco cujus aliquis Sanctus est Patronus, existunt plures Ecclesiæ, quæ suum Titularem habent diversum a Patrono loci, quales Mechliniæ sunt Ecclesiæ parochiales subalternæ, ex. gr., S. Catharinæ, B. Mariæ V., etc.; vel, si etiam principalis Ecclesia alium habet Titularem quam Patronum loci, ex. gr., Gandavi, ubi S. Bavo est Titularis Ecclesiæ Cathedralis, et S. Livinus Patronus loci; in utroque casu Titulares hujusmodi Ecclesiarum nequeunt dici Patroni loci, nequidem intra limites earum Parochiarum. Ibi igitur utrumque Festum est celebrandum, tum Patroni loci in quo Parochia particularis, quæ alium suæ Ecclesiæ Titularem habet, sita est, tum ipsius Titularis Ecclesiæ.

Ad hoc animadvertendum est, quando in aliqua Civitate, vel aliquo pago nova Parochia in territorio Patronatus erigitur: ibi enim Patronus loci retinet suum jus Patronatus, ejusque cultus tamquam Patroni ibi debet continuari, etiamsi novæ Parochiæ Ecclesia alium habeat Titularem.

Q. 223. *Quinam Patroni locorum colendi sunt?*

Prænotatur quod responsum spectat tantum Sæculares; de obligationibus Regularium dicetur postea Q. 228.

R. Juxta Constitutionem Urbani VIII: *Universa*, 13 Septembris 1642 (n. 812, antiq. 1411), duo tantum Patroni locorum de jure colendi sunt celebratione Festi ritu Duplici 1 classis cum Octava, et feriatiōe; scilicet:

1º Patronus principalis Regni, seu provinciæ, status, ducatus, patriæ, etc., quocumque nomine vocetur.

Nostra Patria gaudet Patronatu S. Joseph, Sponsi B. Mariæ V.; etenim Carolus II, Hispaniarum Rex,

instigante Matre sua Maria Anna Austriaca, uxore Philippi IV, eundem Regnorum et Dominiorum suorum, inter quæ Belgium erat, Patronum elegit, quod Innocentius Papa XI, Litteris Apostolicis diei 19 Aprilis 1679, confirmavit. Festo S. Joseph feriatio annexa non fuit.

(Cfr. Super hoc Patronatu : Janssens, *Explanatio Rubricarum Missalis Romani*, Antverpiæ, 1757, pag. 152 et sqq.; — *Message des Fidèles (Revue Bénédictine)*, V, 1888, pag. 104 et sqq.; — *Précis historiques*, 1879, pag. 128 et sqq., et 196 et sqq.)

Eundem S. Joseph Summus Pontifex Pius IX, Decreto 8 Decembris 1870, Catholicæ Ecclesiæ Patronum solemniter declaravit, illiusque Festum, 19 Martii occurrens, ritu Duplici 1 classis, attamen sine Octava, ratione Quadragesimæ (cfr. Q. 143), celebrari mandavit. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 693; Decretum editum non fuit in Collectione authentica.) Epistola circulari ejusdem diei 8 Decembris 1870, S. Rituum Congregatio declaravit, Summum Pontificem abstinuisse a redintegrando in eodem Festo duplici præcepto feriationis.

2° Patronus principalis cujusque loci proprie dicti, id est, Civitatis, oppidi, vel pagi.

NOTA. 1. Patronus oppido et pago convenit, non tamen necessario eundem quæcumque oppida, et pagi habent; dicit enim Urbanus VIII, in citata Constitutione, Patronos esse celebrandos « ubi hos Patronos haberi et venerari contigerit »; et de facto quædam oppida, et pagi Patrono carent.

Ubi vero oppidum, et pagus proprio seu particulari Patrono non gaudet, omnes et singuli de Clero, ad Horas Canonicas obligati, qui in eodem loco degunt, debent celebrare Festum Patroni Diocesis, de quo dicitur in Nota sequenti; et debent celebrare hoc Festum ritu Duplici 1 classis cum Octava; sed absque feriatione, itaque sine Solemnitate.

NOTA. 2. Patronus Diocesis per se non habet jus ad Officium duplex 1 classis cum Octava, neque ad feriationem, per totam Diocesim; sed tantum in Civitate ubi est Episcopi Cathedra, et in iis locis quæ pro-

prium Patronum non habent; in istis tamen, ut dictum supra fuit, absque feriatione.

In Archidiocesi Mechliniensi S. Rumoldus, Patronus Civitatis Mechliniensis, ex concessione Summi Pontificis Gregorii XVI, 20 Julii 1838 (cfr. Litteræ Pastorales, Tom. II, pag. 227), colitur etiam tamquam Patronus totius Diocesis, ejusque Festum celebratur per totam Diocesim ritu Duplici 1 classis; feriatio autem non observanda est nisi in iis locis quorum est proprius principalis Patronus.

Q. 224. In quibusnam Ecclesiis et Oratoriis quotannis colendum est Festum Titularis?

Prænotatur: Antiquitus solæ veræ Ecclesiæ consecratæ, vel saltem solemniter benedictæ, publico fidelis populi usui deservientes, alteri non subjectæ sed proprio jure se gubernantes, et adscriptum habentes clerum, tales erant in quibus Titulare Festum debebat recoli ritu Duplici primæ classis cum Octava.

Pro Oratoriis et Capellis observabatur sequens S. Rituum Congregationis Decretum: Ad dubium: « An Festum Titularis Cappellarum publicarum et Oratoriorum, quæ existunt in Ædibus Episcopalibus, Seminariis, Hospitalibus, domibus Regularium domibusque privatis, celebrari debeat sub ritu Duplici primæ classis cum Credo et Octava? Nam Oratoria publicæ vocantur etiam Ecclesiæ. » S. Congregatio rescribendum censuit: « Negative. » (Hoc Decretum, 12 Novembris 1831, in antiqua Collectione descriptum sub n. 4669, ad 34, retentum fuit in nova Collectionis editione anni 1898 sub n. 2682, ad 32, expunctis tamen verbis Dubii: « nam Oratoria publicæ vocantur etiam Ecclesiæ. ») — Unde auctores docebant non esse celebrandum Titulare Festum, ritu Duplici primæ classis cum Octava, in Cappellis seu Oratoriis publicis nosocomiorum, neque in capellis Seminariorum, nisi sint veræ Ecclesiæ, consecratæ et fidelibus cunctis patentes.

Nuper vero S. Rituum Congregatio edidit sequens « Decretum Generale super Festo Titularium in Ecclesiis et Oratoriis publicis celebrando » (Decret. 5 Junii 1899, n. 4025):

« Cum Sacra Rituum Congregatio comperit nonnullos irrepsisse abusus circa Titularium Festa celebranda, sicut in Ecclesiis ita in Oratoriis publicis, Decreta hucusque evulgata in præsentem renovans et confirmans, declarat :

I. In quibusvis Ecclesiis publicisque Oratoriis, vel consecratis vel saltem solemniter benedictis, relativum Titularis Festum quotannis esse recolendum sub ritu duplici primæ classis cum Octava.

II: Ecclesias autem omnes esse ab Episcopo, nisi consecratæ eæ fuerint, saltem benedicendas, quemadmodum etiam Oratoria publica, sub formula in Rituali Romano præscripta.

III. Hinc pro Ecclesiis et Oratoriis publicis, ad effectum celebrandi Titularium Festa, illas sacras ædes esse intelligendas, quæ pro Missis celebrandis sacrisque aliis, etiam solemnioribus, functionibus peragendis ab Ordinariis locorum destinatæ, vel consecrantur vel solemniter benedicuntur, ut publico fidelium usui libere plus minusve deserviant.

IV. Relativi Titularis Festum a toto Clero, si extiterit, vel a Sacerdote Rectore Ecclesiæ aut publico Oratorio addicto, per integrum Officium celebrabitur: secus, in defectu cujusvis Cleri, per solas Missas juxta Rubricas.

V. In Oratoriis autem, quæ existunt in Ædibus Episcopalibus, Seminariis, Hospitalibus Domibusque Regularium, relativum Titularis Festum non celebrabitur, nisi in casu quo aliqua ex eis consecrata vel benedicta solemniter fuerint.

VI. Denique Sacra Rituum Congregatio mandat, ut nullum ex Oratoriis privatis consecratur, aut Benedictione donetur solemniter, quæ in Rituali Romano legitur; sed ea tantum formula benedicatur, quæ pro Domo nova aut loco in eodem Rituali habetur.

Et ita declaravit. »

Hoc Decretum videtur, super celebratione Festi Titularis, non solum præcedentia Decreta clarius renovare, sed et aliquid novi determinare, præsertim pro Oratoriis semipublicis.

R. Festum Titularis quotannis recolendum est ritu duplici primæ classis cum Octava :

1º In quibusvis Ecclesiis consecratis, vel saltem solemniter benedictis, quales sunt Cathedrales, Collegiatæ, Parochiales, Conventuales, quæ pro Missis celebrandis sacrisque aliis functionibus ab Ordinariis locorum destinatæ, publico Fidelium usui libere deserviunt.

2º In quibusvis Oratoriis publicis consecratis, vel saltem solemniter benedictis, quæ pro Missis celebrandis sacrisque aliis, etiam solemnioribus, functionibus peragendis ab Ordinariis locorum destinata, publico Fidelium usui libere plus minusve deserviunt. Nota quod juxta Decretum 23 Januarii 1899 (n. 4007), Oratorium publicum debet ad publicum Dei cultum perpetuo dedicari, et habere januam in via, vel liberum a publica via Fidelibus universim pandere ingressum. — Quoad præsens negotium igitur, inter Ecclesiam et Oratorium publicum, quale supra describitur, amplius non est distinguendum.

3º In Oratoriis quæ existunt in Ædibus Episcopalibus, Seminariis, Hospitalibus, Domibusque Regularium, quæ consecrata vel benedicta solemniter fuerint. Hæc in Decreto Generali 5 Junii 1899 citata Oratoria ea sunt quæ in Decreto 23 Januarii 1899 indicantur (exceptis Oratoriis Ædium Episcopalium) tamquam Oratoria semipublica, talia nempe quæ, etsi in loco quodammodo privato, vel non absolute publico, auctoritate Ordinarii erecta, commode tamen non Fidelium omnium, nec privatæ tantum personæ aut familiæ, sed alicujus communitatis vel personarum cœtus inserviunt, et in quibus auctoritate Ordinarii sacrosanctum Missæ Sacrificium offerri potest, et omnes qui eidem intersunt, præcepto audiendi Sacrum satisfacere valent (assentiente Domino loci et Ordinarii auctoritate interveniente, juxta Decretum 3 Augusti 1901).

Decretum 23 Januarii 1899 præter Oratoria semipublica in Decreto 5 Junii 1899 citata, talia appellat etiam Oratoria quæ pertinent ad « Collegia ecclesiastica; ad pia Instituta et Societates votorum simplicium, aliasque Communitates sub regula sive statutis saltem ab Ordinario approbatis; ad Domus spiritualibus exerci-